Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2101
Quelle:
Copyright:

choro. *Et recordate ſunt.* Ad Gradum. *Ad monumentum uenimus gementes angelos domini ſedentes uidimus et dicentes quia ſurrexit ieſus.* Duo apoſtoli. *Currebant duo ſimul et ille.* Apoſtoli et mulieres cantant in choro. *Dicant nunc iudei quomodo milites cuſtodientes ſepulchrum perdiderunt regem ad lapidis poſitionem quare non ſeruabant petram iuſticie aut ſepultum reddant aut reſurgentem adorent nobiſcum dicentes aevia aevia* (id eſt Alleluja). Ewangeliſta. *Surrexit enim ſicut dixit dominus. Te deum l.* Haec omnia, ut jam dictum, modulis muſicis informata ſunt. Ultimae Codicis Membranae deperierunt.

DCCCLXIII.

R. 2237 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 254. f. atlantico per duas columnas pulcherrime ſcriptus, literis initiorum maximis laete picturatis, prima vero etiam deaurata viſendus, et optime ſervatus Pars eſt eccleſiaſtici Officii Chori ſpatium a *Dom. I. Adventus* uſque ad *Pentecoſten*, tam de Tempore quam de Sanctis complexa. Praecipuam paginam *Lectiones* faciunt, diverſae ab hodiernis, et ſaepe admodum prolixae. A *fol.* 197. integra inſerta ſunt: *Apocalypſis*, *Epiſtolae Canonicae* et *Actus Apoſtolorum*, ubi, 1. *Joh.* 5, 7. teſtimonium triplex ita legitur: *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in celo. pater. uerbum. et ſpiritus ſanctus. et hij tres unum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra. ſpiritus. aqua. et ſanguis.* Pſalmorum nulla mentio. Invitatoria et Hymni ſolo initio plerumque indicantur. Antiphonae, Reſponſoria, Verſiculi, et quidquid cantandum occurrit, abſque lineis, notulis muſicis ſolum ſupra voces poſitis diſtinguuntur, ut ante Seculum XI. et *Guidonem Aretinum*, cujus igitur methodus ibi, ubi Codex noſter ſcriptus eſt, nondum adoptata fuit. Quod ubi fuerit, nullo indicio deprehendi, niſi quod *Germaniam* innuant *fol.* 190. illa verba: *Chriſt iſt irſtandem*, quae leguntur in Ritu Viſitationis Sepulchri ante Reſurrectionem Domini. Atque is Ritus paene ſolus eſt, qui in vaſto Opere pluribus explicetur.

DCCCLXIV.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 341. 4. eleganter exaratus et coloribus diſtinctus *Breviarium* eſt, cui tamen nec e praemiſſo *Calendario*, nec ex ipſo decurſu peculiarem aliquam Eccleſiam adſignare poſſum, niſi, quod *fol.* 84. Sanctorum Litaniae nomina multa ad *Germaniam* pertinentia contineant. Hymnarium *fol.* 85. varios Rhythmos et Verſus non inconcinnos, ſed hodie extra uſum poſitos, exhibet. Invitatorium *in Conceptione ſancte Marie fol.* 123. p. 2. ſic inchoat: *Adoremus dei patris natum ex pura virgine. Qui conceptum ſue matris preſeruauit a crimine.* Igitur pro *immaculato* militat. U. 668